

I. König Adolf antwortet dem Grafen Guido von Flandern über seine Lage. 1297 Aug. 31.

Or. im Departementalarchiv zu Lille B. 408, n. 3986.

Adolfus dei gracia Rom[anorum] rex semper augustus spectabili viro Gwidoni comiti Flandrie, fideli suo karissimo, gratiam suam et omne bonum.

Litteras sinceritatis tue nostro culmini noviter destinatas solita affectione recepimus et contenta in eis pleno concepimus intellectu. Sane scire te volumus, quod super tuis turbacionibus non minus afficimur, quam de nostris, unde licet rebellio aliquorum precipuorum^a imperii principum et machinationes eorum perverse, quibus crimine lese maiestatis se polluere non formidant, desideriis nostris tibi celeriter occurrendi contra regem Francie hactenus obstiterint et adhuc non mediocriter impediunt nostre propositum voluntatis, quod quidem sub fiducia fidelitatis tibi presencium serie declaramus, indubitanter tamen teneat tua fiducia, quod absque more periculo cum viribus armatorum, quam admittet presentis necessitatis instantia, debeamus consolabiliter te videre, iuxta quod nobilis vir Iohannes de Kvig, affinis noster dilectus, lacius te poterit expedire, cui statum premissorum et exinde nostram penitus expressimus voluntatem. Iuxta hoc siquidem volumus, quod spiritum consolacionis et animum fortitudinis assumens amicos tuos et subditos debeas fiducialiter consolari, sciturus certissime, quod si quos cum predicto rege Francie contigerit haberi finales tractatus, tibi per omnia^b cavebimus, quantum possibile nobis erit^b. De adventu eciam illustris Ed[wardi] regis Anglorum nuper nobis fuerunt aliqua intimata, cuius revera adiutorium tam nobis quam tibi crederetur plurimum opportunum; qui sive veniat, quod multum nostris desideriis arrideret, sive non, quod^c satis esset contrarium votis nostris, de adiutorio tamen nostro certitudinem omnimodam volumus te habere.

Dat. in Sletstad II. Kal. Septembr. regni nostri anno sexto.

Auf der Rückseite: Spectabili viro Gwid[oni] comiti Flandrie fideli nostro karissimo. Von der Besiegelung nur die Schnitte erkennbar.

a) Für 'ci' verschrieben 'er'. b) 'a — erit' auf Rasur. c) Ueber der Zeile.